



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Illvstri Regi Ottoni In Romanorum Imperatorem electo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

niam mentiti fuerant spiritui sancto, à conspectu Apostolorum principis, cuius sumus, licet immeriti, successores, mortui sunt educti. Cum ergo nulla vel modica distantia sit inter perjurium & mendacium sacerdotis, dicente scriptura quòd verba sacerdotis aut vera sunt aut sacrilega, debent ecclesiastici viri, & præsertim qui prælationum obtinent dignitates, reatum perjurij & crimen mendacij penitus evitare & sic fugere inconstantia levitatem ne... sit eis si terram duabus viis ingredi convincantur, & si culpam incurrerint, non effugiant disciplinam. Miramur igitur non modicum & movemur quòd cum carissimo in Christo filio nostro illustri Regi Ottoni in Romanorum Imperatorem electo fidelitatis præsteris juramentum, & ab eo de regalibus fueris investitus, postquam per venerabilem fratrem nostrum Siffridum Maguntinum Archiepiscopum consecrationis beneficium suscepisti, tenuisti penè penitus circa eum, & ipsi tuæ devotionis obsequium subtraxisti. Ne igitur subditis tuis occasio fias similis levitatis, qui eis fortitudinis & constantia debes exempla præstare, fraternitatem tuam monemus & exhortamur attentius & per apostolica tibi scripta præcipiendo mandamus quatenus sic de cetero in ejus fidelitate persistas & sic ei patenter adhæreas & potenter quòd præterita negligentia per subsequentem diligentiam expietur, nec tam cito incurrisse notam perjurij videaris, quia id non possemus æquanimiter tolerare.

Scriptum est Abbati Corbeiensis in eundem ferè modum usque juramentum, & ei à suæ promotionis initio auxilium præsteris & favorem, nunc ultimo tenuisti penè penitus circa eum &c. usque expietur, nec incurrisse notam perjurij &c. usque ad finem.

ARCHIEPISCOPO TREVIRENSI.

Epist. 126.

Qualiter juramentum coram nobis præstitum & postmodum exhibitum in manibus Legati nostri observaveris, ne dicamus violaveris, qualiter irrita feceris quæ de tuis labiis processerant, dum veniens contra propriam sponsonem, promissiones infregeris redactas in scriptis & sigilli proprii munimine roboratas, qualiter in obedientia & devotione non persistiteris, tua prudentia non ignorat. Nos autem, licet possemus ex iis tamquam notoriis, & quæ nulla poterant tergiversatione celari, canonica severitatis in te sententiam promulgare, credentes tamen quòd patientia nostra te ad pœnitentiam revocaret, excessus tuos dissimulavimus hæcenus & te duximus ex multa gratia supportandum. Verum quoniam secundum impœnitens cor tuum thesaurizas tibi iram in die iræ, ita ut superbia tua semper ascendat, nec adicias ut conditionis propriæ recorderis, finaliter & peremptoriè tibi scribimus, sub debito juramenti & quanta possumus districtione mandantes ut carissimo in Christo filio nostro illustri Regi Ottoni in Romanorum Imperatorem electo potenter adhæreas & patenter, per te ac tuos publicè ipsi auxilium tribuens & favorem. Alioquin securim ad radicem arboris infructuosæ immo etiam perniciosæ ponemus,

ne terram inutiliter occupet, & florentem vineam sterilitatis suæ umbra confundat. Quòd si aliqui de Ecclesia Trevirensi favorem tibi præsumerent adhibere, præsumptionem eorum taliter puniremus quòd eorum pœna multis proficeret ad cautelam; immo et si tota Ecclesia Trevirensis in erroris tui defensione peccaret, nos in eam animadvertere curaremus, & honoris metropolitici dignitatem, quam per sedem est apostolicam assecuta, alias transferre propter ingratitude vitium cogeremur.

PRÆPOSITO, ARCHIDIACONO, Canonici, & ministerialibus Ecclesia Trevirensis.

Inconstantiam & facilitatem, ne perjurium & infidelitatem dixerimus, Archiepiscopi Trevirensis vobis credimus per ejus opera patuisse. Nos autem memores dilectionis antiquæ quam apostolica sedes exhibuit Ecclesiæ Trevirensi, pro cujus defensione interdum persecutiones etiam gravissimas est perpessa, & recolentes devotionem illam quam Ecclesia Trevirensis Ecclesiæ Romanæ solita fuerat exhibere usque modò, mitius egimus contra eum, & ipsum duximus æquanimiter tolerandum, credentes quòd patientia nostra eum ad pœnitentiam revocaret. Verum quoniam superbia ejus semper ascendit, ne videamur errorem ejus dissimulando fovere, similiter ei ac peremptoriè scribimus &c. *ut supra usque confundat.* Ideoque discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus eundem Archiepiscopum ad mandatum apostolicum exequendum diligentius moneatis, parati, cum super hoc fecundò vobis scripserimus, quòd mandavimus humiliter adimplere. Credimus enim & pro certo tenemus quòd Ecclesia Trevirensis Ecclesiæ Romanæ matris & magistræ suæ dispositioni parebit, nec ejus obviabit aliquando institutis. Quòd si forsan, quòd non credimus, in erroris ejusdem Archiepiscopi defensione peccaret, in eam animadvertere curaremus, & in panam ipsius honoris metropolitici &c.

Epist. 127a

ILLVSTRI REGI OTTONI IN Romanorum Imperatorem electo.

Cum inter te ac dilectam in Christo filiam natam Ducis Brabantia sponitalia fuerint approbante Legato nostro contracta, nostræ voluntatis existit ut quòd initiatum est legitime, nisi per alium steterit, compleatur. Cum ergo puella ipsa ætati nubili sit vicina, monemus serenitatem tuam & exhortamur attentius quatenus usque ad nubilem ejus ætatem expectes, & si pater ejus eam tibi tradere noluerit requisitus, ex tunc liberè cui volueris, in Domino tamen, nubas.

*Epist. 128.
Vide supra
Epist. 13. 66.
111.*

ILLVSTRI REGI ANGLORVM.

Quamtu tuæ serenitatis excellentia honoris & exaltationis reciperet incrementum, si carissimi in Christo filij nostri illustris Regis Ottonis in Romanorum Imperatorem electi promotio felicem sortiretur eventum, si diligenter attendas, intelliges per te ipsum, cum te latere non possit quòd ei non solum adver-

Epist. 129.